

non constat exemplo Petri, quod Augustinus adducit, nam Petrus tunc propositum ex se absolutum habuisse videtur, licet postea illud mutaverit. Et deinde etiam desiderium sanctum, licet non sit omnino absolutum, non fit libere sine cooperante gratia. Denique si (ut alii volunt) per voluntatem imperfectam intelligatur voluntas intendens, per perfectam voluntas utens et exequens, imprimis incredibile est propositum servandi mandata absolutum et universale, vocari ab Augustino voluntatem imperfectam. Deinde etiam est incredibile sensisse Augustinum talem actum fieri sine gratia cooperante, cum in cap. 16 dicat petendum esse a Deo ut tantum velimus, quantum necesse est ut volendo faciamus.

7. *Parva est simplex affectio, perfecta autem volitio libera.*—Videtur ergo illa facilior et expeditior intelligentia, ut voluntas parva dicatur illa simplex affectio, quam Deus per gratiam excitantem, quæ est etiam pure operans, solet immittere: voluntas autem perfecta sit volitio libera, quæ non dicitur perfecta, quia in se et absolute semper talis sit, sed solum comparatione prioris, in qua gratia solum operatur, et nondum voluntati liberæ cooperatur. Objici vero contra hoc solet, quia Augustinus dicit gratiam operantem facere ut velimus, quod intelligit non solum de affectu illo indeliberato, sed etiam de libera voluntate. Nam de hoc velle loquitur Paulus cum dicit: *Deus operatur in nobis velle*, et tamen de illo velle ait Augustinus fieri per gratiam operantem, cum ait: *De operante ut velimus dictum est: Qui operatur velle.* Respondetur duobus modis fieri posse per gratiam operantem, ut velimus; uno modo formaliter imperfecte, et hoc confert gratia operans per se sola; et Deus, infundendo illam, dicitur facere ut velimus. Et in hoc sensu videtur sumi ab Augustino cum dicit: *Ut velimus sine nobis operatur*, quia de nullo libero velle id potest dici vere, ut jam ostendi. Alio modo potest gratia operans facere ut velimus libere, quod non facit formaliter, sed effective, sive physice, sive moraliter. Et hoc ulterius subdistingendum est. Nam gratia operans, ut supra tetigi, potest esse efficax et inefficax, seu consequi effectum et non consequi. Quando ergo non consequitur effectum bonæ voluntatis deliberatæ, dicitur facere ut velimus, utique quantum est ex se, et tunc particula, *ut velimus*, significat quidem effectum, non tamen jam factum, sed ut finem intentum per talem operantem gratiam. Et in hoc sensu etiam est verum Deum

operari in nobis sine nobis, ut velimus; licet non consequatur effectum intentum, quia nos non cooperamur. Quando vero talis gratia conjungitur effectui liberæ volitionis, et illam causat, tunc vere dicitur efficaciter facere ut velimus, et Deus per illam dicitur operari nostrum velle liberum, cujuscumque gradus vel perfectionis sit: tunc autem talis gratia non manet in ratione solius operantis, sed transit in cooperantem, quia simul cum voluntate efficit illud velle. Et ita in hoc sensu dici non potest Deum in nobis sine nobis operari ut velimus, quia nunquam inducit effectum liberæ voluntatis per solam gratiam operantem, sine cooperante, ut declaravi.

8. *Ex illa doctrina plura Augustini loca explicantur.*—Atque hæc doctrina mihi quidem verissima videtur, et necessaria ad explicandas varias locutiones, et loca Augustini ad quæ est cum magna discretione semperque attente considerato contextu, applicanda; unde quod ad præsentem locum attinet, in uno puncto mihi non satisfacit, nimirum, quod Augustinus per parvam charitatem vel voluntatem intellexerit solum simplicem affectum non liberum a Deo immissum. Nam certe, quando Petrus Christo dixit: *Animam meam pro te ponam*, actum liberum charitatis habebat, et tamen de illo ait Augustinus habuisse parvam et imperfectam charitatem. Concedo ergo etiam inter actus liberos charitatis, seu bonæ voluntatis, esse aliquos imperfectos variis modis supra tactis. Videtur autem Augustinus specialiter vocare dilectionem vel voluntatem imperfectam, illorum qui recte proponunt, et postea non implent quod proponunt, de quibus dixit Christus: *Qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.*

9. *Verba num. 1 adducta exponuntur.*—Nunquam vero dixit Augustinus, ut in objectione supponitur, hanc voluntatem esse a sola gratia operante, sine cooperante, sed dixit: *Et quis istam etsi parvam dare ceperat charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem, et cooperando perficit quod operando incipit*, per quæ verba voluit pungere Semipelagianos, qui dicebant quædam initia imperfecta voluntatis bonæ esse a nobis. Contra illos ergo ait etiam initium illius parvæ charitatis fuisse ex Deo, qui incipit operando, et sic præparat voluntatem. Per hoc autem non excludit quin etiam illi cooperetur in eodem actu libero, licet imperfecto, quia ex ea parte qua libere fit, aliquam perfectionem habet, et illam sine cooperatione Dei habere non potest. Illud autem

CAPUT XXIII.

QUID SIT GRATIA PRÆVENIENS, COMITANS ET SUBSEQUENS, ET QUOMODO AD EXCITANTEM ET ADJUVANTEM COMPARENTUR.

1. *Gratia actualis in prævenientem, comitantem et subsequentem dividitur, quod probatur primo ex Scriptura.—Secundo, ex Tridentino.*—Hæc quæstio, eodem fere modo quo præcedens, breviter expediri potest. Dico ergo primo actuales gratias convenienter illis tribus nominibus significari. Ita docent omnes Theologi, et patet primo, quia in Scriptura fit mentio harum gratiarum. Psalm. 58: *Misericordia ejus præveniet me*; et Psalm. 20: *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis*, et tamen Psalm. 22 dicitur: *Misericordia ejus subsequetur me*; vox autem comitandi non invenitur formaliter in Scriptura, tamen invenitur æquivalenter, quoties Deus adjutor noster dicitur. Et maxime significata est a Paulo 1 Corinth. 15, in illa verba: *Non ego, sed gratia Dei mecum*; nam illa particula *mecum*, concomitantiam indicat. Secundo, Trident., sess. 6, cap. 5, verbis illis: *Converte nos, Domine, et convertemur*, ait nos confiteri gratia Dei præveniri. Et ita ex illo loco gratiam prævenientem colligit, de qua dicit canon. 3: *Si quis sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione.* Dum autem addit: *Ejusque adjutorio, comitantem indicat, de qua et de cæteris in c. 16 expresse dicit: Quæ virtus (scilicet gratiæ Christi) bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur.* Et Ecclesia in quadam collecta orat: *Tua nos, Domine, gratia semper præveniat, et sequatur.* De concomitante autem videtur intelligi quod subditur: *Ac bonis operibus jugiter præstet esse intentos.* Expressius vero de hoc tertio membro in alia collecta dicitur: *Quos caelesti recreas munere, perpetuo, Domine, comitare præsidio*; et alia statim afferemus, ex eadem Ecclesia et Patribus.

2. *Tertio, ratione ex iis quæ nobis ad salutem necessaria sunt.*—Declaratur tandem ratione, quia ad salutem tria sunt nobis necessaria: initium salutis, consensus in vocationem, et conservatio propositi, vel executio, vel etiam augmentum; propter initium ergo necessaria fuit gratia præveniens: ad consensum autem addenda fuit gratia comitans, quia sine Deo adjuvante nihil possumus; ad reliqua vero necessaria fuit gratia subsequens, quia

initium operantis gratiæ dicit esse ad velle potius quam ad operari vel perficere, quia gratia pure operans vel excitans, primum omnium necessaria est ad velle, et mediante illo potest sufficere ad faciendum seu operandum, nisi in executione ipsa difficultas operandi crescat; tum enim nova gratia operans necessaria erit, ut homo non tantum velit, sed etiam operetur; quoties autem homo vult vel operatur, sola operans gratia inchoat voluntatem, sive volentem, sive exequentem; neutram vero cum effectu inducit, nisi transeat in cooperantem, juxta illud Augustini lib. de Nat. et grat., cap. 31: *Operamur et nos, sed illo operante cooperamur, quia misericordia ejus prævenit nos.*

10. *Alia verba explicantur.*—Ita igitur intelligenda sunt verba quæ in dicto capite 17 Augustinus subjungit: *Ut ergo velimus, sine nobis operatur*, utique quoad initium bonæ voluntatis, quod solus Deus facit, sive voluntas consentiat, sive non, et sive vel tantum imperfecte consentiat, sive etiam perfecte. Et ita est intelligendum quod subdit: *Cum autem volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur*, id est, ipsemet Deus et ejus gratia operans, per quam solus in nobis operatur, ut velimus, nobiscum cooperatur cum volumus, atque etiam cum ita volumus ut faciamus; quia vel virtus primæ gratiæ operantis ad omnia extenditur, vel nova additur, si ad constantiam vel perfectionem in operando necessaria sit. Et ideo dixit in capite 16 ejusdem libri: *Certum est nos mandata servare si volumus, sed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus. Certum est nos velle, cum volumus, sed ille facit ut velimus bonum, etc. Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Ergo et velle simpliciter (ut sic dicam) et ita velle ut faciamus, et servemus mandata, est a gratia operante, per quam facit Deus ut velimus et ut faciamus, quamvis ipsum velle et facere, id est, voluntatem proponentem et exequentem, ipse etiam nobiscum cooperetur. Denique hanc esse Augustini mentem facile intelliget qui alia loca ejus supra citata consideraverit, præsertim lib. 2 de Peccator. merit. et remiss., cap. 17, 18 et 19, de Spirit. et litter., cap. 34, et q. 2 ad Simplicianum; et quæ in capite sequenti ex Gregorio, Bernardo, et aliis afferemus, hanc doctrinam confirmant, quam ipsos ex Augustino sumpsisse nemo in dubium revocabit.

sine actuali influxu gratiæ, nec progredi nec perseverare in salute inchoata possumus, et multo minus in illa crescere. Quam fere rationem tradidisse videtur Bernard., lib. de Grat. et lib. arbitr., versus finem, dicens: *Si ergo Deus tria hæc (hoc est bonum cogitare, velle, perficere) operatur in nobis, primum profecto sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit. Siquidem immittendo bonam cogitationem nos prævenit; immutando etiam malam voluntatem, sibi per consensum jungit; ministrando et consensui facultatem, foris per operum nostrum internus opifex innotescit. Sane ipsi nos prævenire nunquam possumus. Qui autem bonum neminem invenit, neminem salvat quem non prævenit? A Deo ergo sine dubio nostræ fit salutis exordium, neque per nos utique, nec nobiscum. Verum consensus et opus, etsi non ex nobis, non jam tamen sine nobis.*

3. *Hæc gratiæ non differunt ab excitante et adjuvante.* — Dico secundo, gratiæ quæ his vocibus significantur, quatenus internæ et actuales sunt, in re non distinguuntur a gratia excitante et adjuvante, sed connotant solum quasdam habitudines prioris et posterioris. Sententia est communior Theologorum, cum Magistro in 2, d. 27. Probatur autem discurrendo per singulas gratias prædictas. Nam imprimis Concilium Trid., sess. 6, c. 5, excitantem gratiam prævenientem appellat, dum ait, *exordium salutis sumi a præveniente gratia Dei*, hoc est, inquit, ab ejus vocatione. Constat autem vocationem esse excitantem gratiam. Idem colligitur ex illa oratione Ecclesiæ: *Actiones nostras quæsumus, Domine, aspirando præveni.* Ergo inspiratio est gratia præveniens; inspiratio autem gratia excitans est. Et eodem modo dixit Concilium Tridentinum, dicto can. 3: *Si quis, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione.* Similiterque dixit August., l. 2 de Pecc. merit., c. 17 et 19, Deum prævenire nos operando in nobis sine nobis, quod facit per gratiam excitantem, ut supra vidimus. Idem habet q. 2 ad Simplicianum, et passim. Sic etiam Greg., l. 16 Moral., cap. 11, dicit: *Si superna gratia mentem non prævenit, nunquam profecto inveniet innocentem.* Quomodo autem præveniat, declarat, dicens: *Superna pietas prius agit aliquid in nobis sine nobis.* De comitante vero subdit: *Ut subsequente quoque nostro libero arbitrio, bonum quod appetimus, agat nobiscum.* Unde l. 17, cap. 9, alias 8, gratiam prævenientem dicit esse lumen divinum, id est, illuminationem. Et lib. 18, cap. 23, alias 25, dicit esse inspirationem divinam. Similia re-

perientur in Bernardo supra, et in Prospero et Anselmo, locis citatis capite præcedenti.

4. *Ratione probatur de gratia præveniente. — De comitante.* — Ratio item clara est, quia, ut statim dicam, illa habitudo prioritatis, quam declarat vox *præveniens*, sumi potest, vel in ordine ad consensum liberum, vel in ordine ad merita, seu bona opera, vel in ordine ad alias gratias. Omnibus autem his modis potest gratia excitans esse præveniens, quia præcedit consensum ad quem excitat, ut per se notum est; præcedit etiam omnia merita, ut supra contra Semipelagianos probatum est. Denique præcedit alias gratias ex genere suo, quia in toto ordine gratiarum excitans est prima. Est ergo omnibus modis præveniens. Simili modo gratia comitans eadem est quæ adjuvans, de qua sub illa voce, ut supra dixi, raro loquuntur Patres, et ideo non afferimus eorum testimonia, neque sunt necessaria, quia ex terminis ipsis res est manifesta, quia non potest gratia liberum arbitrium adjuvare, nisi simul concurrat cum illo, et hoc est comitari illud; unde hæc habitudo concomitantiam ex parte gratiæ habet pro termino, seu correlativo, liberum arbitrium, seu influxum ejus in eundem consensum. Quam concomitantiam optime explicavit Bernardus in dicto libro, dicens: *Qui enim bono, quod opere complent, voluntate consentiunt, opus omnino quod per eos Deus explicat, ipsis communicat. Unde Paulus, cum bona plurima quæ Deus per ipsum fecerat, enarrasset: Non autem ego, ait, sed gratia Dei mecum; potuit dicere, per me; sed quia minus erat, maluit dicere, mecum, præsumens se non solum operis esse ministrum per effectum, sed et operantis quodam modo socium, per consensum.*

5. *Et de gratia subsequente.* — De gratia subsequente est nonnulla major dubitatio, quia aliqui significant constituere membrum tertium distinctum, sed revera nihil tale necessarium est, imo nec facile cogitari potest. Suppono autem sermonem esse de interna et actuali gratia, nam de influentia interna maxime loquitur Tridentinum in cap. 16, ubi illa tria membra posuit. Sic ergo gratia subsequens non est nisi adjuvans, ut subsequitur excitantem, vel quodlibet auxilium quod post aliud, et veluti ratione illius, datur. Probatur ex Augustino lib. de Natur. et grat., cap. 31, ubi contra Pelagianos dicentes: *Nos ipsi nos ipsos justificamus*, ait: *Ubi quidem operamur et nos; sed illo operante cooperamur, quia misericordia ejus prævenit nos: prævenit autem ut sane-*

mur, quia, et subsequitur ut glorificemur; prævenit ut pie vivamus, quia sine illo nihil possumus facere. Ubi videtur sub gratia subsequente comprehendere omnes gratias necessarias post primam vocationem, non solum ad bene operandum, sed maxime ad perseverandum usque ad mortem. Et in idem redit quod ait in Enchirid., cap. 32: *Nolentem prævenit ut velit; volentem subsequitur, ne frustra velit*, id est, ut possit exequi quod voluit, aut in incepto perseverare. Ad hoc autem solum indiget homo novis auxiliis excitantibus et adjuvantibus; ergo illa dicuntur subsequencia respectu primæ vocationis, vel primæ cooperationis gratiæ, quæ etiam dici potest subsequens, respectu præviæ excitantis. Et ita fere exposuit Gregorius, homil. 9 in Ezechiel., in principio, dicens: *Ipse aspirando nos prævenit ut velimus, qui adjuvando subsequitur, ne inaniter velimus, sed possimus implere quod volumus.* Idem late Falgentius, lib. 1 ad Monimum, cap. 11: *Ipsa præveniendo misericorditer incipit, subsequendo custodit.* Et paulo post: *Prævenit donans homini bonam voluntatem, subsequitur benevolentem, operando in illo boni operis facultatem.* Et concludit: *Hoc igitur ista misericordia Dei in homine subsequitur, quod præveniens ipsa largitur*, quibus verbis, et aliis quæ subjungit, aperte sentit subsequencia auxilia non esse, nisi quæ post prævenientem gratiam nos custodiunt et adjuvant ad augmentum et perseverantiam in justitia, quæ non sunt nisi nova auxilia excitantia et comitancia: nullum ergo novum auxilium gratiæ per hoc tertium membrum superioribus additur.

6. *Gratia dicitur subsequens ratione præcedentis.* — Ut ratione hoc declaremus, adverte vocem illam *subsequens*, relationem posterioritatis dicere, ut per se manifestum est; potest ergo hæc relatio accipi respectu trium terminorum, quos paulo ante declaravi. Primo enim comparari potest ad præcedentem gratiam, et sic tam gratia comitans quam secunda præveniens potest recte dici subsequens. Et de comitante videtur ita loqui Ecclesia in quadam oratione pro iter agentibus, dicens: *Ut præveniente tua gratia dirigas, et subsequente comitari digneris*, nam gratia comitans seu adjuvans semper supponit prævenientem, et ideo est subsequens respectu illius. Et ita in hac parte consentiunt etiam D. Thomas et Theologi supra. Unde etiam patet secundam gratiam prævenientem dici posse subsequentem respectu alterius gratiæ præcedentis, tam præ-

venientis quam comitantis. Loquor autem de secunda, quia prima non potest in hoc ordine dici subsequens, quia non datur ratione alterius, in quo differt a prima comitante, quia hæc datur ratione prævenientis, et quasi consequenter ad illam, ut supra tetigi.

7. *Secundo, in ordine ad consensum.* — *Tertio, respectu meriti.* — Secundo, potest alia relatio sumi in ordine ad liberum consensum, et sic, respectu unius et ejusdem consensus, non potest gratia comitans vel præveniens, quæ ad illum datur, esse subsequens, quia in nullo genere aut modo est posterior quam usus liberi arbitrii, ut sæpe dictum est. Et in hoc sensu dixit Augustinus non posse gratiam esse pedissequam liberi arbitrii; tamen respectu talis consensus, etiamsi primus sit, reliquæ gratiæ quæ postea dantur, dici possunt subsequentes, quia sunt posteriores, et possunt dari ratione illius, quod non est inconveniens, quia ille consensus non est naturalis, sed gratuitus, quod statim magis patebit. Et eadem ratione, si gratia præveniens et comitans, seu excitans et adjuvans, non comparetur ad consensum propter quem dantur tanquam propter finem sive effectum, sed ad alium præcedentem, sic dici possunt subsequentes respectu illius. Tertio, potest dici gratia subsequens respectu præcedentis meriti vel dispositionis, quomodo frequenter loquuntur Patres, et sic constat multas gratias excitantes et adjuvantes post primas posse esse subsequentes; nam possunt cadere sub meritum supposita priori gratia, ut sæpe etiam dictum est.

8. *Subsequens gratia non distinguitur ab excitante et adjuvante.* — Ex his ergo recte concluditur gratiam subsequentem non esse auxilium distinctum ab excitante et adjuvante, sed illa eadem ut habentia tales respectus illis vocibus nominari. Quod ratione dialectica declarari potest, nam respectu diversorum, potest eadem res accipere denominationes relativas quasi oppositas, ut patris et filii, prioris et posterioris; sic ergo eadem gratia potest dici præveniens, et subsequens, et comitans, quamvis adjuvet et excitet. Denique, si considerentur effectus propter quos dari potest gratia subsequens, non invenitur alius modus, quo possit illos efficere, nisi vel excitando, vel adjuvando: sed istæ gratiæ actuales non dantur nisi propter suos effectus; ergo gratia subsequens actualis et interna non datur nisi ut excitet, vel adjuvet, vel ad bonum operandum, vel ad malum vitandum, sive hoc consideretur in singulis actibus et occasionibus, præsertim

post primum consensum liberum, sive in ipsa perseverantia; ergo non potest esse gratia distincta ab excitante et adjuvante, ut etiam satis constat. Licet hæc divisio trimembris videatur nihil addere priori divisioni auxilii in excitans et adjuvans, ideoque nihil obstare quominus illa divisio adæquata sit, obiter tamen notari potest differentia inter illa membra: nam in ordine gratiarum prævenientium, dari potest aliqua quæ sit pure præveniens, quia in omni ordine prioris et posterioris pervenitur ad primum, et proportionali modo potest dari gratia pure subsequens, quia potest dari ultima: comitans autem semper potest alios respectus participare, quia vel est subsequens respectu prævenientis, vel potest esse præveniens respectu posterioris gratiæ, quamvis respectu cooperationis liberi arbitrii sit pure comitans, ut jam explicatum est, et in sequenti capite latius dicetur. Adverto etiam non omnem gratiam quæ post aliam datur, dici proprie subsequentem, sed illam quæ aliquo modo ratione prioris datur: nam si nullo modo sit ab illa, vel ratione illius, non dicitur proprie subsequens, nisi forte in ratione temporis, quod est accidentarium, et non consideratur.

9. *Sequitur secundo dari illam in justis, et peccatoribus.* — Præterea, ex dictis inferri potest gratiam subsequentem non dari tantum in hominibus justis, sed etiam in peccatoribus, imo etiam in infidelibus, si ad fidem jam vocati sunt, vel aliquo modo præventi, et cooperari incipiunt; patet facile ex dictis, quia peccator per fidem potest impetrare auxilium ad poenitentiam, petendo et eleemosynas faciendo, ut Scriptura docet; ergo si tale auxilium impetrat, habet respectu fidei veram rationem gratiæ subsequentis. Et eadem ratio locum habet in homine vocato ad fidem, nondum plane converso; nam ex præveniente gratia quam recipit, potest concipere aliquod bonum desiderium, quo paulatim disponatur; posterius ergo auxilium, quod illi homini datur intuitu dispositionis ejus, est revera gratia subsequens. Quin potius, ut dixi, ipsa gratia cooperans, quæ his hominibus datur, ut se remote disponant ad gratiam, potest dici subsequens respectu excitantis, quæ præcessit; non est ergo gratia subsequens propria justorum. Quod si interdum Augustinus vel Fulgentius, locis citatis, eam specialiter justis attribuerent videntur, non ideo est quia aliis nullo modo communicetur, sed id faciunt ad explicandam justitiam semel comparatam, et auxilia quæ dantur ad illam obtinendam, non sufficere

ad salutem, sed etiam ipsos justos indigere gratiis subsequentibus. Unde non negant, imo a fortiori docent eisdem auxiliis indigere peccatores, quamvis non sint illis ita debita, sicut justis. Et ideo forte etiam innuere voluerunt esse in justis majorem quamdam rationem, ob quam auxilia quæ illis dantur sint subsequentia, quia vel sunt debita, tanquam connaturalia gratiæ habituali, vel etiam quia justipossunt multa auxilia de condigno mereri.

10. *Tertio, non datur ad solam perseverantiam, sed ad quemcumque actum bonum.* — Secundo, sequitur ex dictis subsequentem gratiam non tantum dari ad perseverandum, sed etiam ad quemcumque progressum faciendum in gratia quocumque modo inchoata. Hæc sequitur aperte ex præcedenti, quia ut fidelis peccator ad justitiam ulterius progrediatur et se disponat, novo gratiæ auxilio indiget, quod respectu fidei subsequens est, et idem est de similibus. Et eadem vel majori ratione non datur gratia subsequens tantum ad actus externos, seu ad executionem boni propositi, sed etiam ad interiores actus, et ad ipsum bonum propositum concipiendum. Probatur inductione facta, nam peccator, ut concipiat propositum poenitentiae, et se disponat, recipit gratiam subsequentem ad fidem, vel timorem. Et ita Trident., sess. 6, cap. 7, describens seriem et ordinem justificationis, varios numeros actus, quorum unus prior est alio, et ad singulos requiritur auxilium gratiæ, ut constat, et ideo auxilium datum ad posteriorem actum subsequens esse potest respectu actus præcedentis. Ratio vero est, quia hæc auxilia sunt vel excitantia, vel adjuvantia, quæ recipiunt illas denominationes, quoties dantur ratione prioris gratiæ, vel intuitu alicujus boni operis præcedentis.

11. *An gratia subsequens aliquid addat supra excitantem.* — Sed dicunt aliqui, præter auxilia quæ dantur ad bonum incipiendum, necessarium esse ut Deus etiam exterius, ad executionem propositi, et consequenter ad opus externum, præbeat occasionem opportunam ad bene operandum, et præterea ut auferat omnia impedimenta: nam hæc merito inter gratias computantur. Ergo recte dicitur gratiam subsequentem addere hujusmodi bona ultra gratiam excitantem et adjuvantem. Respondetur imprimis hoc nihil obstare, quia loquimur de gratia interna, ut in conclusione dixi: illæ autem gratiæ externæ sunt. Deinde dico, etiam ad illas gratias externas posse et debere doctrinam datam applicari, quia præ-

paratio opportunæ occasionis ad bene operandum, licet sit gratia subsequens respectu præcedentis propositi, tamen, respectu operis ad quod datur, revera est gratia præveniens, quia a Deo fit sine nobis. Quo modo recte intelligitur illud Prov. 16: *Homini est præparare animam, Dei autem gubernare linguam*, nam illam directio et gubernatio linguæ, respectu præparationis est subsequens, et respectu locutionis est prævia, quia est solius Dei, ut in eisdem verbis plane indicatur. Unde talis gratia poterit esse excitans eo modo quo per externa verba homo excitatur. Ac denique si homo tunc operetur, etiam potest dici gratia adjuvans, quia non parum juvat, vel carere impedimentis ex pravis occasionibus, vel bonas habere. Igitur quoad gratias externas nulla est hic differentia. Addo denique has gratias externas etiam ad concipiendum primum bonum propositum dari posse, et requiri, quia etiam congrua occasio exterior et ablatio impedimenti multum conferre possunt ad bonum propositum concipiendum. Ideoque opportunæ occasio audiendi verbum Dei, præveniens gratia est, et ad excitantem pertinet, et ablatio impedimenti, quod posset idem propositum impedire, gratia est, quæ tale propositum comitatur ut fiat; ergo non est cur inter conceptionem vel executionem boni propositi discrimen ullum constituamus.

12. *An hæc nomina gratiæ habituali accommodentur.* — Tandem dixi in assertionem: *Si loquamur de gratiis actualibus*, quia D. Thomas, in dicto art. 3, etiam accommodat has tres voces ad gratiam habitualem, quod facile etiam fieri potest. Nam habitualis gratia, quatenus a solo Deo infunditur, et præcedit actus quos elicit, dici potest præveniens; quatenus vero simul est cum actibus quos elicit, et ad illos cum voluntate cooperatur, potest dici gratia comitans, quia liberum arbitrium in operando comitatur. Eadem vero gratia, vel quoad infusionem, ratione dispositionis præcedentis, vel quoad suum augmentum, quia datur ex merito de condigno, gratia subsequens dici potest. Hæc vero solum est accommodatio quædam per se probabilis, quamvis Augustinus nihil de illa tractaverit.

CAPUT XXIV.

QUOMODO GRATIA PRÆVENIENS, COMITANS ET SUBSEQUENS, AD OPERANTEM ET COOPERANTEM GRATIAM COMPARENTUR.

1. *Questio an gratia cooperans sit unquam*

præveniens ratione consensus liberi. — Quæstio hæc, in sententia quam sequimur, nullam novam difficultatem habet. Diximus enim gratiam excitantem et adjuvantem cum operante et cooperante respective converti. Unde necesse est ut eandem proportionem seu habitudinem servent ad prævenientem, comitantem et subsequentem. Quia vero moderni quidam aliter sentiunt, saltem de cooperante gratia, pauca de illa dicere necessarium existimavimus. Est ergo hoc tempore quorundam Theologorum sententia affirmans, non solum operantem gratiam, sed etiam cooperantem, esse prævenientem, et non simultaneam, seu comitantem, vel forte etiam subsequentem. Ut autem intelligatur hujus sententiæ sensus, advertendum est non distinguere prævenientem et subsequentem gratiam per comparisonem ad alias gratias, sed per comparisonem ad efficientiam et influxum liberi arbitrii. Nam priori modo forte non negarent hi Doctores posse cooperantem gratiam esse subsequentem, cum etiam gratia operans, imo et excitans (quæ secundum illos est distincta ab operante, et prior illa), possit esse subsequens ad priorem gratiam, imo et ad aliquod meritum, quando non est prima in suo ordine, sed aliam supponit, ut ostensum est. Loquuntur ergo per comparisonem ad influxum liberi arbitrii cum ipsamet gratia, et sic supponunt gratiam operantem semper esse prævenientem, de qua nulla est controversia. Nam licet non eandem gratiam nomine operantis intelligamus omnes (nos enim excitantem intelligimus, illi vero prædeterminantem physice), nihilominus qualiscumque sit, si est gratia operans, sine dubio præcedit, ordine naturæ seu causalitatis, consensum liberi arbitrii, quia est causa ejus; ergo de gratia cooperante difficultas superest.

2. *Quod etiam de gratia physice cooperante intelligunt Alvarez, Medina.* — Probatur primo, ex Scripturis. — Secundo, ex Patribus. — Addunt enim etiam gratiam physice cooperantem, in quantum cooperantem, esse prævenientem. Ita tenet P. Alvarez, et solum citat pro sua sententia Medinam 1. 2, quæst. 111, art. 2, de cujus sententia infra dicam. Probatur autem hæc sententia, primo ex illo Pauli ad Philip. 2: *Deus est qui operatur in nobis velle et perficere*, et Isaia 26: *Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine*; quæ testimonia sine alia inductione proponuntur. Secundo, ex Gelasio Papa, epist. 7, ad universos Episcopos per Picenum, circa finem dicente: *Quis autem au-*